



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

956. Vtrum dismembrationes, & quæ cadant sub regula Cancellariæ Revocatoria unionum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

trio) contrarium dicendum, nempe etiam ante cessum, vel decessum obtinentis beneficium illam censi posse sortitam suum effectum, ait idem nu. 28. juncto n. 29.

**Questio 956.** *An dismembrationes, & quae cadant sub regula Cancellaria Revocatoria unioinum?*

**R**espondet Lott. cit. q. 29. n. 28. & 29. dismembrationes simplices fructuum, illas substantiā beneficii, olim usque ad tempora Clem. VIII. non cecidisse sub hac regula; eod quod ab illo nunquam ea regula ita concepta fuerit, ut ejusmodi dismembrationes complecteretur; & hinc majores nostros semper tenuisse, hujusmodi dismembrationes non cadere sub hac regula, ut Crescent. decis. 1. n. 3. de Paroch. Seraph. decis. 982. n. 1. & 2. Quidquid sit, ubi fieret dismembratio fructuum in totam, ita ut extinguatur titulus beneficii, quo casu intraturam ait argumentationem Mandosii; qui hac in re titubavit. ad hanc reg. q. 21. à n. 4. Ad eundem Mandos. remittit Chok. ad hanc reg. revocator. nu. 18. ubi: quid autem dicendum de annexione partis fructuum, num comprehendatur hac regula, vide apud Mandos. loc. cit.

**Questio 957.** *Quid sit divisio, qualiter prohibita, & qualiter permessa?*

**R**espondeo: De primo jam dictum satis ante, ubi, quid sit dismembratio, & qualiter ea differat à divisione: nempe quod divisio in eo consistat, quod beneficium seceret, & ex uno beneficio fiant duo. Garc. p. 12. c. 4. nu. 1. Castrop. de benef. tr. 13. d. 6. p. 3. §. 10. n. 3.

**Respondeo ad secundum:** Prohiberi illam à jure. c. majoribus. c. dilecto. c. vacante. de prob. & ibi AA. communiter. Garc. Castrop. l. cit.

**Respondeo ad tertium:** Permittitur tamen & illa, ubi justa est causa, & adstant legitima conditiones. Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 2. juxta textum c. vacante. & ibi AA. passim, & gl. in c. majoribus. v. divisionem.

**Questio 958.** *Quanam in specie sit justa causa divisionis?*

**R**espondeo: Eam esse unicam, nimirum ut hac ratione obligationibus beneficio incumbentibus satisfiat, quibus, quamdiu beneficium unum & indivisum manet, satisfieri nequit, v. g. si beneficium est curatum, & unum cum sit, satisfieri nequit Cura, divisione autem facta ei satisfieri potest. Idem est de Canonatu, aliòve beneficio simplici, si munus haberet, cui nullatenus satisfieri posset seclusa divisione. Castrop. loc. cit. n. 4.

**2.** Hinc causa sufficiens beneficia dividendi non est, quod cultus divinus multiplicatione beneficiorum augeatur. Lott. l. 1. q. 28. n. 82. (ubi: circa illud, quod est causa finalis sectionis diligenter observa, quod, cum melius servietur Ecclesie per plures quam per pauciores, videtur frustratorie adhiberi, ex quo in omni sectione augetur numerus servientium, propterea referendum est id ad practicam necessitatem Ecclesie; cum non semper expediat esse plures ministros.) Castrop. cit. n. 4. citans Imol. in c. vacante. de prob. Lambert. de jurep. l. 2. p. 1. q. 12. d. 7. Item apud Garc. Rota in Callaguris. benef. 18. Jun. 1593; ubi expresse dicit ex Per. de Ubald. tr. de Canon. Episc. c. 7. n. 6. (quod ipsum etiam ex eodem asserit Lott. loc. cit. nu. 64.) augmentum hujusmodi cultus divini ad hunc effectum non habetur in consideratione ex numero beneficiorum, nisi ubi Ecclesia propter defectum beneficiorum suis debitis servitiis fraudaretur. Item dicitur ibi; nec di-

catum, quod in augmento numeri beneficiorum diminuitur cultus augeatur; quia respondetur, quod hac sola causa non est sufficiens ad inducendam divisionem beneficiorum, & praebedarum; & si aliter diceretur, sequeretur, quod semper ex illa causa augmenti divini cultus esset loci divisioni beneficiorum contra jura praedicta. Arque ita Rota in dicta causa pronunciat, nullam esse sectionem ex simplici hujusmodi causa multiplicandi beneficiatos factam. Lott. loc. cit. n. 64.

**3.** Neque sufficiens causa est extinctio litis, & litigantium concordia, haec enim aliā viā obtrimenti possunt, absque eo, quod beneficia dividantur; & per reservationem nimirum portionis. Lott. loc. cit. n. 68. Castrop. loc. cit. Rota in eadem Callaguris. apud Garc. ubi etiam Rota ait, concordias semper fieri debere, ne sequatur Sectio beneficii, juxta c. missos. sent. de prob.

**4.** Neque causa sufficiens est dividendi beneficium Parochiale multitudo Parochianorum, si seclusa divisione, omnibus illis administrari possunt Sacramenta ab ipso Rectore, aliisque in adiutorium assumptis. Castrop. loc. cit. argumento Trid. sess. 21. c. 4. ubi disponit, ut, antequam ad divisionem procedatur, Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicae delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere administrandis Sacramentis, & cultus divini peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos spectat, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiunt ad illud; adeoque hoc remedium prius tentandum. Castrop. loc. cit. Barbos. ad cit. loc. Trid. Ad compellendum autem Rectores, ut designent sibi adiutores, opus non est, si Episcopus procedat ex officio ut Episcopus, ut is probe aliquem, vel aliquos Parochianos decessisse sine Sacramentis defectu congrui servitii, sed sufficit, si periculum sic decessendi extrajudicialiter cognoscat. Secus esset, si ad instantiam partis Rector compellendus esset ad assumendos adiutores; eod quod difficulter pars probare possit necessitatem, nisi probe, aliquem sine Sacramentis decessisse. Castrop. l. c. Verum de causis, aliisque observandis in divisione Parochiarum dictum est sufficienter aibi, & remissum ad Card. de Luca & Lott. quest. ante hanc. §. prater hos vide etiam de hoc Castrop. loc. cit.

**Questio 959.** *Qua praeter legitimam causam requirantur conditiones ad dividendum beneficium?*

**R**espondeo: Requiriti duas, prima est, ut fructus pro singulis beneficiis designati sint sufficientes ad alendum congruè utrumque beneficium, Castrop. loc. cit. n. 3. Lott. cit. q. 28. n. 76. ubi etiam, quod in determinatione hac reditum seu fructuum non sit habenda consideratio duntaxat alimentorum, verum etiam onerum Episcopatum & hospitalitatis, & hanc sufficientiam semper probandam per eum, qui Sectioni innotuit, Altera, ut adhibeantur solennitates, quae requiruntur in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quia hac divisio est vera talis alienatio. Castrop. loc. cit. Porro haec solennitates in divisione eadem sunt, quae in dismembratione. Quod autem de consensu Rectoris, cujus beneficium dividendum, ait Castrop. loc. cit. n. 5. hunc non requiri; cum Trid. dicat, etiam in vitis Rectoribus fieri posse divisionem, & hanc tota causa relinquatur à Concilio arbitrio Episcopi, sic intelligendum juxta dicta, ut in votis